

na vocat anathema, detracta ab hostibus in praefatis spolia, quae Deo sacerantur, sicut constat ex *Isaie: Sitque civitas haec anathema, et omnia quae in ea sunt. Quibus suppositis refert Budaeus, aliqua gravi peste civitatem vexante propter peccata civium, si quis eorum pro incoluntate reliquorum immolari volebat, vestiri solum sacerdotibus indumentis, et morte damari, quo pergente ad sacrificium, ceteri exstant clamantes: *Eto piaculum nostrum, isto victimam nostram, peccata nostra in te sint.* Itaque onerabatur ille omnium exsecrationibus, ut liberaret totam civitatem a peena, quam Deus peste illa, vel calamitate sumere volebat; quod genus sacrificii anathema vocabatur. Idque immens Paulus dixit, accensus charitate fratrum: *Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Sed Chrysostomus (*lib. 3. cap. 16. sup. epist. ad Rom.*) hanc expositionem refutat (*in libro de compunctione cordis*), et (*in libris de provid. Dei*), eamque adeo falsam putat, ut dicat: *Fernicularum est itaque in isto titulatum ista expositio: et in eodem loco titulatum ista expositio: et in praedicta interpretatio sibi non probetur: nam si Paulus optabat a Christo separari pro fratribus suis, optare non debet mortem, cum per illam Christo magis iungeretur: verba Chrysostomi sunt: Quomodo optasset Paulus a Christo anathema esse, hoc est, separari ab eo per mortem carnis, cum mors ipsa magis ad eum elorum, qui cum Christo est, coniungat, et ipsius gloria potiri faciat? Unde concludit Paulum desiderasse, cum illa verba dixit, esse ad tempus privatam clara Dei visione pro salute suorum fratrum: *Ac pro Dei amore, ab ipsa Dei fruitione, et ineffabili gloria excedere.* Ad cuius imitationem dixit s. Martinus: *Si ad hoc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quam Chrysostomi sententiam s. Thomas (2. 2. q. 27. ar. 8. in respons. ad 1. arg.) pariter seculus est. Consideremus etiam Christum in hoc divino Sacramento obedientem Patri millenti eum, et sacerdotibus consecrantibus, qui postquam verba consecrationis protulerunt, nil cunctatos ad sacerdotis manus temporis momento descendit, *obediens Domino voci hominis: discamusque Deo, et hominibus propter Deum obedire: hoc enim obedientiae genus excelsum, et maximum est.* Pro qua re memini dixisse Chrysostomum, nescire se, utrum magis admiraretur, Abrahac obedientiam, qua Deo obedivit, an Isaac obsequium, quod patri exhibuit, non resistens eius voluntati, etiam si viribus ad resistendum patri valeret, ut conici posset ex fascie lignorum, quae portavit ad suum cadaver comburendum. At itaque Chrysostomus (*ho. 47. super Gen. 22*): *Nescio utrum admirem, et obspescam, istius forte spiritum Patriarchae, an pueri obedientiam, qui super altare occubuit expectans patris deexteram.* Quaestionem non solvit Chrysostomus, sed meo iudicio videtur excelsior, et praestantior pueri Isaac obedientia, et fortitudo. Primum, quoniam natura duce nemo est, qui propriam vitam pluris quam alienam non faciat: unde patet plus fecisse Isaac vitam propriam, quam Abraham alienam offerendo. Secundo,**

quia si Abraham obedivit, illa obedientia Deo immediate praestita fuit, qui iusserat, ut filium suum immolaret; Isaac autem obedivit homini propter Deum: quae res difficilius multo est. Consideremus hoc subtile Sacramentum esse vitam bonis, et mortem malis, ut Angelicus Doctor asseruit: et discamus divinae iustitiae legem, qua bonos remunerat, et punit malos, deprimit superbos, et evehit humiles. Quod videtur voluisse significare Philosophus, qui dixit: *Iudicem esse oportere centro similem: quae verba dupliciter possunt explicari.* Primum sensus sit, quod quemadmodum centrum est punctum in medio globi existens; ita iudex medium tenere debet in administratione iustitiae, nec ad unam, nec ad alteram partem declinans. Secundus sensus, et magis proposito nostro conveniens erit, quod sicut centrum minores lines mittit ad circumum minorem, et maiorem ad maiorem, observans quodammodo iustitiam distributivam; ita iudex, et antistes magis honorabit, et remunerabit digniorem, et minus eum, qui minoribus meritis commendatur. Consideremus denique Sacramenti species, quae prius erant viles, et parvi pretii, postea, quoniam sub illis est Christus, tantum dignitatis, et aestimationis adeptas, ut ab omnibus colantur, et adorentur: et discamus magnum esse honorem iustorum, qui sunt viva templa Dei, cum non solum in altera vita, sed in hac etiam ita colantur, et respiciantur, ut de illis regius Propheta dixerit (*Ps. 138*): *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*

HOMILIA XXV.

De cultu, et veneratione, quae huic Sacramento debetur; ac de laudabili publicarum processionum usu, quo ab Ecclesia catholica celebratur.

Sacramentarii haeretici tamquam manifesti hostes divini huius Sacramenti, adversus cultum, et adorationem, qua sancta Romana Ecclesia veram Christi in eo praesentiam specierum velamento lectam unanimiter veneratur, semper allatarunt; eo tamen illorum rebellis impia, et aversio abiti, ut multo magis sacrorum Pontificum animi excitati fuerint ad confirmanda catholicorum pectora, ut ardentius, ac diligentius in tam divini Sacramenti cultum, et summam reverentiam incumberebant. Sed praetermissis nunc super hac re definitionibus, a multis Conciliis, et praesertim a Concilio Viennensi decretis in Clementina unica de reliquiis, et veneratione Sanctorum, primus omnium Urbanus Quartus felices recordationis, vigilantissimus Ecclesiae Pastor anno 1263. ad omnia orbis Christiani regna, et provincias Apostolicum diploma, et motum proprium expedivit, quo diem festum publicis laetitiae signis in honorem huius Sacramenti celebrari praecipit: Conciliumque Tridentinum (*sess. 13. can. 6*) haereticos esse declaravit, qui usum processionum, quibus Ecclesia catholica hoc sa-

cramentum coluit, et adorat, condemnarent: cuius religiosi cultus, et laudabilis consuetudinis rationes assignat (*sess. 13. cap. 5*): quae quoniam pietatis, ac sapientiae plenae sunt, illis praesentem homiliam duxi fundandam, et locupletandam. Prima ratio est, ut *Christiani homines singularem ac rara quadam significatione gratos, et memores testentur animos erga Dominum.* Salomon tanti faciebat, quod incolere Deus templum suum dignaretur, ut admirans dixerit (*3. Reg. 8*): *Ergo ne credendum est, quod vere Deus habitet super terram?* Id si percontatus fuisset Salomon a Chaldaeorum philosophis, quibus Nabuchodonosor interpretandum suum proposuit somnium, crederem responduros, fieri non posse, ut tam familiariter Dei contubernio homines uterentur, sicut ipsi Nabuchodonosor responderunt: *Exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.* Sed cum fide catholica consiet, Deum ubique esse, prout Deus est, Christumque, prout Deus, et homo est, sub specie panis, et vini, ubique eadem eadem consecrata accidentia sunt, pariter adesse, dubium esse non potest, quin, ut dixit Moyses: *Non alia ratio tam grandis quae habeat Deus appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis observationibus nostris.* Unde propheta Ezechiel, dum Babylone captus erat, cum ei amota cortina, et velamen fuisset, quae gloria, et maiestas templi Dei tegebatur, nihil est magis admiratum, quam quod hominibus Deus in cresset: *Et ipse Dominus ibidem.* Quamobrem agnoscent Ecclesia catholica magnitudinem, et excellentiam tam rari, et singularis beneficii, quo nos Christus cumulat, manens apud nos hoc Sacramento velatus, desiderat se gratiam tanto benefactori ostendere; et ideo sicut altera Rebecca, quae acceptas a sponso nuptias, et armillas in manibus suis portabat, sponsi sui glorians muneribus, in sacro, et solemnium huius Sacramenti die in manibus suis, quae sunt sacerdotum manus, deferat pretiosam dona, et omni aestimatione maiora, pignora corporis, et sanguinis Christi, quae ipso tempore sui recessus ei veluti sui amoris arrham largitus est: idque ut maiori cum pompa, et solemniori apparatu faciat, quod in Hispania maxime viget, et sternerit lapidibus, solum floribus spargit, et vultus arboribus ramos disponit, arcus erigit triumphales, colossos mysticos, et status fabricat, quibus huius divini Sacramenti mysteria insinuantur; Samsonis lenem, favum mellis ore tenentem; petram oleo stillantem; manna instar toris de caelo descendens; racemum ab exploratoribus terrae promissionis allatum; Melchisedech panem, et vinum offerentem; Agnum paschalem pro Aegypti exitu; caprum emissarium pro remissione peccatorum; Cererem Deam eum spicis, et Bacchum cum racemis: quibus adduntur aenigmata, et hieroglyphica; carminum varia genera; instrumentorum musicorum harmonia; tibiaram, tympanorum, et tubarum soni; cithararum, et barbitorum, innumerablemque suavissime undequaque personantium instrumentorum concitus, dissimulatumque cantorum, variis, gratissimisque vocibus aerem mulcentium; tormen-

torum explosiones, quorum strepitu, et sulphureo fumante pulvere saluator divina huius Sacramenti maiestas; saltantes choreae, ac laeta tripudia; comediarium recitationes, et alia id genus signa laetitiae, et ingeniosa inventa, quibus omnes fere Christiani orbis nationes ad exhibendam huic Sacramento debitam reverentiam utuntur: erectis quoque in tanto triumpho vexillis, et crucibus habitae victoriae insignibus, coruscantibus undequaque secularum infinitarum ignibus, dum sacerdotes vestibus auro in-textis ornati, pretiosissimis ex argento, et auro pyxidibus impositum hoc divinum Sacramentum deferunt per vias publicas, et in genua procedentes omnes Christi fideles legitimum suum Regem, naturalem Dominum, Creatorem, et Redemptorem venerant, et adorant, gratias agentes iuxta tres graditudinis gradus, qui a Theologis numerantur; interna videlicet animi cogitatione, externa veri confessione, et operis satisfactione.

Secunda ratio, quam s. Synodus Tridentina assignat ad celebrandam tanta cum maiestate divini huius Sacramenti solemnitatem, est, quoniam per illud victoria, et triumphus Christi, per crucem adversarios suos debellantis, nobis ante oculos ponitur: ait enim Tridentina Synodus: *Hoc divino beneficio mortis Christi victoria, et triumphus representantur.* Et cum Christi victoria tanto sui impendio, et tanta cum utilitate nostra fuerit peracta, iure optimo praecipit Ecclesia catholica caelesti admunitio consilio, ut nos, quorum res in hoc Sacramento agitur, memoriam eius repleamus, diem festum agamus. Adeo semper placuit gratitudo, ut quoties aliquod in homines olim conferebat beneficium, illico suberet diem festum institui, vel sacrificium, sive aliud externum laetitiae fieri signum, quod accepit beneficii memoriam, et gratitudinem in animis hominum, qui facile obliviscuntur, infermorum non permitteret. Agnus paschalis memoria fuit exitus Israel ab Aegypto; eucaenia representabant templi instaurationem: vas aureum plenum manna symbolum erat panis angelorum, quem de caelo missum homo manducavit. Hinc etiam, ne tam rarum et singulare beneficium, quale fuit Iordanis fluvii sicut undas, et Siccio, et Iudo pect sacerdotis transiret arcum portantes, oblivione deleretur, imperavit Deus *Isaie*, ut viros ex quavis tribu eligeret duodecim, qui ad totius populi conspectum, duodecim lapides de Iordane eruos eligerent; sciensque ille, quantum Deo placerent externae significationes gratitudinis, columnas duodecim in aqua, et toldidem in terra erexit, ut utrobique accepti beneficii recordatio vigeret. Scimus egressum aqua Noe stationi Deo immolasse sacrificium, quod se, ac suos ab aquarum eluvione liberasset. Notum quoque est, ut diceret (*Genes. 45*): *Deus fecit me dominum universae terrae Pharaonis: non dixit, constituit me Pharaeo Aegypti proregem, aut ego mihi paravi, vel acquisivi proprio consilio, et viribus; sed Deus fecit me dominum universae terrae Pharaonis, profertis ab ipso tantum ac-*

cepisse dignitatem. Et quando ei nati filii duo fuerunt, unum vocavit Manassam, quod significat oblivionem laborum praeteritorum, et alterum Ephraim, qui interpretatur augmentum in dignitate: itaque ipsi quoque nominibus filiorum, volebat expressa esse beneficia, quae a Deo susceperat. Ex omnibus beneficiis, quibus Christus suam commulavit Ecclesiam, nullum maiori cum sumptu ipsius, et ampliori humani generis utilitate fuit, quam eius in cruce pro nostra salute mors: moriens enim dedit nobis vitam, et filios Dei regeneravit, ut indicavit Isaias cum dixit (c. 53): *Generationem eius quis enarrabit?* Quae verba licet interpretes aliquot de aeterna Filii generatione, prout a Patre procedit, et alii de nativitate, quando natus de Virgine Matre est, intelligent, sanctus Thomas (1. p. q. 1) Augustinum secutus declarat de generatione spirituali, qua tot filios pro morte suam regeneravit. Cuius interpretationis veritatem videtur fulcire ratio, quae statim ibidem a Propheta subicitur: *Quia abscessus est de terra viventium; id est, quoniam tamquam germen a stirpe fuit avulsus: stirpi namque si vetera germina tollantur, nova statim nascuntur; et ideo, quia abscessus de terra fuit, filios genuit quamplurimos.* Addeque postea idem Isaias: *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum, hoc est, si pro mundi peccatoribus morietur, videbit copiosam, et felicem filiorum posteritatem.* Quod si quis Philosophus obliquit iuxta doctrinam Aristotelis, *Generationem esse opus viventis a vivo, atque ideo non potuisse a Christo moriente generari filios: nam cum generatio spiritus non sit minoris dignitatis, quam corporis, sicut in hac est necessarium vitae principium, sic et in illa oportebat esse vivens principium, non mortuum.* Respondeo, etsi Christus moriens in tempore datam vitam amiserit, aeternam tamen, quae divinae personae propria est, semper illaesam retinuit: nam quemadmodum in vite, palmifibus amputatis, radix vitam non perdit; ita haec mystica vitis, nam ita se Christus appellat (Ioann. 10): *Ego sum vitis vera, quamvis mortis fauce abscessa fiat, et vitam amisit humanitatis, mansit tamen integra, et intacta quoad divinitatem.* Nunc igitur ad rem nostram. Cum mors Christi, qui vitae auctor est, nobis vitam attulerit, idque beneficium sit omnium amplissimum, statuit Ecclesia catholica in honorem huius Sacramenti agi diem festum, quo memoria mortis Christi, victoria, et triumphus repraesentatur, sicut a Tridentino Concilio diximus declaratum: *Hoc singulari beneficio mortis Christi victoriam, et triumphum repraesentari.* Quae verba alium possunt habere sensum, videlicet, quod sicut Christus patiens, et moriens sustinuit ignominiam; ita nunc mortis iam trophaeo gloriosus, per hoc Sacramentum ereptum sibi indebitum honorem tam solemnium pompae suorum fidelium apparatu recuperet. Habemus restituti huius honoris praeclearissimum typum, et proposito nostro convenientissimum in patriarcha Ioseph. Ille namque Christi expressa imago fuit, cui Deus acceptas palam iniurias honore publico compen-

savit. Inter alias iniurias, quibus Ioseph affectus fuit, quatuor fuerant insigniores. Prima est, quam refulsit David (Psalm. 80): *Manus eius in cophino servierunt, et a sportula portanda famulatus est:* hoc est, in abiecto domus ministerio. Secunda, quod missus fuerat in carcerem. Tertia, quod vocatus fuerit impostor. Quarta, quod domina ipsius illum vocaverit proditorem, quod eius libidini non fuerit assensus. Quas iniurias Deus in magnos honores commutavit: nam cuius manus, ut dixit David (Psalm. 6): *In cophino servierunt, sceptrum Aegypti tenuerunt, et sigillum regum, quo regis diplomata signabantur.* Si missus in foedum, et impurum custodiae locum fuit, Pharaon illum ad tam honorificum culmen, et ad tantum honoris splendorem extulit, ut ei dixerit (Gen. 41): *Uno tantum regni solio te praecedam.* Si fratres cum appellarent impostorem, Ioseph Aegyptus regis iussu nominat Salvatorem, *voravit eum Salcatorem mundi.* Ac tandem si domina clamavit infidum, et illusorem, dicens (ibid.): *Ingressus est ad me sercus Hebraeus, ut illuderet me, Pharaon ita eum honorat, ut triumphali curru impositus, clamante praecone, patriae pater, et totius Aegypti gubernator nominaretur: Iussitque ab omnibus in genua procumbentibus adorari, fecitque ascendere eum super currum suum clamante praecone, ut eorum eo omnes genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti.* Sic nunc accedit Christo: nam si tunc magno cum dedecore, et ignominia per vias civitatis Hierusalem ab Anna ad Caipham, et ab Herode ad Pilatum ductus fuit; nunc per vias universi Christiani orbis magno cum honore, maiestate, atque apparatus pompa solemniter deducitur. Tunc tamquam malefactor despectus huc, et illic rapiebatur; nunc super humeros sacerdotum summo reverentiae cultu hauritur. Tunc tamquam fatuus sibilis acceptus; nunc tamquam rex musicis salutarum. Tunc cruce oneratus; nunc triumphali curru impositus, tot praecombus laudes eius intonantibus, quot sunt in Ecclesia Dei cantores eorum: unde iustus, et verus de illo dicitur potest Machabaei encomium (Hester 6): *Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.* Tertia ratio, quam dat s. Synodus celebratitatis, et solemnitatit, quae huc Sacramento impenditur, est, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati, et fracti tabescant: nam ut poeta Horatius dixit: *Invidios alterius narescil rebus optimis.* Il quod contigit haereticis, inuentibus auctoritatem, et maiestatem, qua ab universa Ecclesia Christus, praesertim in hoc Sacramento, suscipitur, et adoratur. Refert Herodotus, apud Scythas fuisse consuetudinem, ut per totum regnum regis mortui cadaver circumferretur, quo illius intuitu ad dolorem animus subditorum provocaretur. Ad hunc modum sacrificia catholica cupiens ex parte una movere fideles ad lacrymas, et dolorem ob Christi mortem; ex altera vero ad gaudium, et laetitiam ob tam singulare beneficium, quod manere nobiscum dignatus sit, per omnes Christianorum regiones,

viasque publicas in hoc solemniter festo corpus eius deferit, in typo, et figura mortale, quoniam per hoc Sacramentum mors Christi repraesentantur, sed in substantia propria, et in se ipso immortale, ac gloriosum, ut in eo ritu ad lacrymas recordatione ipsius, ad iubilum aulem in Sacramento praesentem, et nobiscum habitantem influentes, fideles commoveantur: nam ut dixit Concilium Viennense: *In hac sacra commemoratione adsunt nobis suavitas, gaudium simul, et lacrymae.* Cum lamen causa moveat animos nostros ad plangentem ob Christi mortem iam praeteritam, et laetitia ob eius in hoc Sacramento praesentiam nunc adsit: et ut docet experientia, cum ab obiecto praesente fortius, et vehementius animus afficiatur; ideo in huius Sacramenti festivitate gaudium primas fert, quod quanto magis intra pectora catholicorum augetur, tanto acerbius haereticorum animi tristantur, et torquentur, dum influentur invidis oculis pompam, et maiestatem, qua Dominici corporis festus dies peragitur. Videtur Tridentina Synodus, cum dixit: *Ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati, et fracti tabescant, alluisse ad verba Davidis (Psalm. 101): Peccator videbit, et trascetur, dentibus suis fremet, et tabescet:* id est, videbunt haereticum solemnem pompam, et huius diei regium apparatus, ac furore atque odio adversus catholicos accenduntur; frustra tamen: nam erubescunt, et labescunt, ut accidit Magistratibus Holofernis adversus Achior iratis, quod Hebraeorum Deum adoraret: quos ipse parvifaciens, robore suffudit. Simile quoque est, quod Michol contigit, quae regem Davidem tripudiantem ante arcam testamenti, quam sacerdotes magno cum musicorum apparatu deferabant, videns reprehendit; quam ille erubescere fecit, ita respondens: *Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum eius, ludam:* ita haereticis significati per imprudentem Michol, videntes populum Dei, qui per Davidem significatur, choros agentem, ludos celebrantem, ac mille gaudii species edentem, ad festum agendum arcae, non testamenti, sed Christi humanitatis per arcam praenotatae, dentibus suis fremunt, et tabescunt, nec proficiunt, immo major inde dolor in eos redundat, quoniam ipsorum contradictionibus tamquam folibus flamma devotionis populi Christiani magis accenditur. Poterit igitur Christianus populus, quem Petrus vocavit, *genus electum, non in minori cum causa dicere cum Davide: Ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, et omnem domum illius, ludam:* ego Domini mei diem festum celebrabo, qui me populum suum elegit, et repudiavit Calvinismum, Lutheranismum, et Atheismum cum reliquis sectarum deliriis, inventis a mendaci parentibus, et catholicae veritatis oppugnatoribus: mihi lucem de caelo dedit, illumigans me ad cognitionem veritatis; vos in mediis tenebris Dei errare permittit: me suae mensae accumbere voluit, ut angelorum pane nutriat; vos ab hoc convivio repellit, sicut dixit Oseas (cap. 4): *Separatum est con-*

vivium eorum: nam panis hic non canibus, sed filiis traditur, ut dixit Thomas: *Verè panis filiorum, non mittendus canibus.* Quare nec micam divini huius cibi gustabitis, quod eius diem festum agere nolitis; nos autem illo plene fruimur, musicis, canticis, carminibus, odoribus, floribus, ac vera fide, et charitate illum celebrantes, et adimplentes, quod David praedixerat (Ps. 117): *Constituite diem festum in condensis usque ad cornu altaris.* Hieronymus vertit: *frequentate solemnitates in frondosis usque ad cornu altaris:* id est, altare ipsum ramis, et floribus ornate: quod non solum faciunt catholici, sed nova quoque acumulata inventa, ad augendam tantae laetitiae solemnitatem; idque praevideos Oseas spiritu prophético dixit adversus haereticos: *Quid laetietis in die solemnium, in die festivitalis Domini?* David etiam, quid haeretici in hac Domini festivitate, et sui corporis insigni solemnitate facturi essent, et dicitur desperatione ducti, praesignificavit, in quibus (Ps. 73): *Quiescere facimus dies festos Dei a terra.* Procremum hanc solemnitatem abolere, et festum corporis Christi quiescere faciamus: quod certe non semel tentatum, negantes Christi veram in hoc Sacramento praesentiam, in qua fundat mater Ecclesia cultum, et venerationem, quam huc Sacramento deferit. Sed vana fuerunt haecsum filiorum studia, inanes cogitationes, et infirmi conatus: nam sicut Christi sacerdotium non est ad tempus, sed aeternum, ut dixit David (Ps. 109): *Tu es sacerdos in aeternum;* sic divinum hoc Sacramentum usque ad saeculi exitum non terminabitur (Matt. 29): *Ece vobiscum sum usque ad consummationem saeculi:* et consequenter nec terminabitur festivitas, qua illud Ecclesia non minori suo commodo, quam honore Christi veneratur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

Divini huius Sacramenti frequentatio suadet ex locis sacrae paginae, Conciliorum, canonum apostolicorum, sanctorum Patrum, et theologorum scholasticorum argumentis, efficacissimisque rationibus: et contrarium docentes, refutatis illorum rationibus, reprehenduntur.

Quod aggredior tractandum argumentum, non solum haereticos, verum etiam multos ex catholicis habet adversarios, qui simulata religione, et ficto zelo venerationis, quae tam sublimi Sacramento debetur, eius damnant frequentationem; plurima tamen, quae a nobis producentur testimonia doceant, quantum a Christiana pietate, et religioso cultu, qui huius divino Sacramento exhiberi debet, abhorreat. Cum vero ad id persuadendum non leve sit

argumentum, quod assumitur a figuris, quibus olim haec veritas praesignificata fuit. Primum sit testimonium, missam coelestem manna, divini huius cibi typus, quod quotidie Deus colligi iubebat, ad significandum studium, et assiduitatem, qua divinum manna sanctissimi corporis Christi frequentare debemus. Unde nascentis Eucharistiae tempore huius Sacramenti cultus, et reverentia florentior erat, sicut constat ex Actis Apostolicis (c. 2): *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis. Et verba quae paulo post sequuntur: Quotidie fragrant panes circa domos, sumebant eum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum, nulli interpretantur de quotidiana corporis, et sanguinis Christi communione, quam testatur Hieronymus (in epistola ad Luc.) plures amos inter Romanos, et Hispanos in usum fuisse: quod et nostra adhuc aetate sub imperio presbyteri Ioannis apud ludos observatur, ubi unius tantum missae fit sacrificium, et qui adsunt, omnes Eucharistiam accipiunt. Praeterea Christi verba: *Panem nostrum, quotidianum da nobis hodie*, de huius etiam Sacramenti sumptione intelligenda, sentiunt Augustinus (de ser. Dom. in monte), Hieronymus (contra Pelagianos), Petrus Chrysologus (ser. 68), Cyrillianus, et Tertullianus (in expositione orationis Dominicae). Hincque s. Thomas (3. p. q. 80. art. 10) ait: *Quando magna vigebat devotio fidei, statutum fuit, ut quotidie fideles communicarent; quod etiam constat ex e. Episcopus, de consecratione, d. 1. ubi referuntur verba epistolae Papae Anacliti, in hunc modum: *Peracta consecratione, communicant; et qui noluerint, Ecclesiasticis careant linibus, sic enim et Apostoli, et sancta Romana tenet Ecclesia. Quae constitutio invenitur in can. 10. de constitutionibus Apostolicis, to. 1. Conciliorum. Et Dionysius Areopagita, qui tempore vixit Apostolorum, testatur nolentes in missa, quam audiebant, accipere Eucharistiam, expelli ab Ecclesia solitos, tanquam excommunicatos. Tridentina Synodus admonet, et hortatur ad huius Sacramenti frequentationem: etenim (sess. 22. car. 6) ait: *Optaret s. Synodus, ut singulis Missis fideles adstantes communicarent. Veniamus igitur nunc ad Ecclesiae catholicae patres, et magistros, et quid ipsi nos admonent, inspiciamus. S. Ignatius (in epistola, quam scripsit ad Ephesios) eos hortatur ad Eucharistiae assiduum acceptionem. S. Ambrosius (in libro de sacram. c. 4. lib. 4) ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumimus? quotidie accipe, ut quotidie tibi prosit; sic vice, ut quotidie merearis accipere: et loquens de sanguine Christi, dixit: *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Et s. Hieronymus ait, ut refertur (in cap. Si non sunt de consecratione dist. 2): *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non se debet a medicina corporis, et sanguinis Domini separare. Et verba et apud Augustinum, et Bedam (in Epist. ad Corinthios) reperimus; idem Augustinus (in serm. Domini in monte), et 28. de verbis Dom., et pluribus aliis locum amplectitur doctrinam: cui et s. natura, et communis Theologorum opi-*******

nio (super quartum sentent. dist. 12) unanimiter adhaerescit. Qua de re angelici Doctoris sancti Thomae verba sunt: *Quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc Sacramentum suscipere; dicebantibus audeamus esse frequentem accedere ad hoc divinum Sacramentum, et respondet: *Non est audacia quotidie accedere, sed indigne accedere. Qui vero se timent, et evitant humilitatis praetextu, audiant verba Gregorii, a sancto Thoma in loco iam adducto rebata: *Ita est vera humilitas, quae ad recipiendum quod altiter praecipitur, pertinax non est. Et qui praetextum timorem, verbis Petri utuntur (Luc. 5): *Ecce a me Domine, quia homo peccator sum, in memoriam revocet, quid conchysit Augustinus (in quest. proposita). Virum melius esset huic mensae per amorem assidere, vel per timorem separari: ait enim ab amore stans: *Amor, et spes, ad quae semper Scriptura nos provocat, praefertur timori; unde et cum Petrus dixisset: *Ecce a me Domine, quia homo peccator sum: respondit Iesus: *noli timere. Idemque doctor animum faciens, ita timidus inquit: *Securus accede panis est, non venenum. Qui propter reverentiam, et honorem, qui tam excellenti Sacramento debetur, ab eius assiduo usu abstinere, audiant Cyrillum dicentem: *Sciunt igitur baptizati homines, si longo temporis spatio propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent, ab aeterna se vita procul repellere, quippe recusatio huiusmodi, quavis ex religione proficisci videtur, et scandalum facit, et laqueos instituit. Qui denique Augustini dictum usurpant, quod refertur de consecratione (q. 2. c. 13): *Quotidie Eucharistiae communionem accipere; nec laudo, nec vitupero, adverteo debent, sicut explicat s. Thomas (in art. 10. loci superius allegati), illic non loqui Augustinum de piis hominibus, et religioni intentis, sed de his, qui negotiorum saecularium curis, divitiis, et honoribus addicti distrahuntur, de quorum quotidiana communione ait: *Nec laudo, nec vitupero. Sed est valde notandum, ex hac Augustini sententia damari eos, qui adversum sacramenti Eucharistiae assiduum usum laetant. Nam cum magnus Ecclesiae pater Augustinus communionem quotidianam damare non ausus fuerit in mercatoribus, et negotia tractantibus, ipsi audent improbare illam etiam in iis, qui ab omni negotiorum strepitu liberi, et quieti sunt: et quod plus est, cum Augustinus non damnet in negotiatoribus supremum quotidianae communionis gradum, ipsi reprehendunt in his, qui negotiis non implicantur, moderatam communionem, qualis est, quae singulis octo vel quindecim diebus fit. At si ad hoc ipsum probandum rationibus uti velimus, variae, ac multiplices illae sunt, quibus haec doctrina roborabitur. In primis dictae naturae docemur consummatione esse ratione, non aliquando erramus, sequi in actionibus nostris tanquam regulam certissimam, Ecclesiae catholicae antiquam consuetudinem, Patrumque doctrinam, iuxta Hieremiam verba: *Interrogato de senectis antiquis, quae sit via bona, et ambulata in ea. Quare cum ex Eccle-************

siae usa, et sacrorum Doctorum, quos iam citavi, concordia doctrina liqueat, magnam in Ecclesia quondam fuisse huius Sacramenti frequentationem, iudicaverim illorum opinionem suspectam, et male sonantem, cum per illam damnetur, quod viri, et sanctitatis, et integritatis conscientiae, ac sapientiae laude commendati unanimes amplectuntur. Quod si secundo propter assiduitatem culpam, in quas labitur, quis sibi videatur indignus, et non dispositus ad divinum Sacramentum, octo, vel quindecim dierum spatio recipiendum; multo magis indignus, ac minus dispositus erit transacto unius anni curriculo: nam si propter unius hebdomadae peccata sibi videtur indignus, multo erit indignior unius anni peccatis irretitus; qua ratione nititur Ambrosius (lib. 4. de sacr. cap. 4) cum dixit: *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum. Tertio, nonne imprudens esset, qui rogatus, cur ad ignem non accederet, responderet, non accedo, quia frigeo; cum ea potius de causa multo magis deberet accedere? Similiter etiam imprudens est in hac re, de qua disserimus, qui dicit se non frequenter communicare, quoniam tepidus, vel frigidus est: nam accessio ad huius Sacramenti divinum ignem unicum est remedium ad frigus animi, et in virtute, ac pietate languorem depellendum. Unde vester pater Bonaventura (in lib. tit. hab. de pro. rel.) ita scribit: *Licet tepide accedens, succubitaliter confite de misericordia Dei, quia quae magis aegres, magis indiget medico. Quarto, quoniam communicandi voluntas cum bona mentis dispositione continetur, non minus habet meritum, quam voluntas abstinendi propter timorem, praeterquam quod non communicantem excedit communicans in fructu, quem ex communiore recipit. Ultimo, quia divinum hoc Sacramentum datur nobis sub imagine alimenti (Iohann. 6): *Caro mea vere est cibus; nec cuiusvis alimenti, sed panis, cuius usus est omnium frequentissimus: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: ergo sicut cibi frequentatio ad corporis vitam sustentandam necessaria est, sic divini huius Sacramenti assiduos usus. Unde sanctus Thoma in loco superius allegato, quod modo diximus, testatur his verbis: *Sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Quemadmodum igitur, qui pluribus diebus ordinario victu non refectur, naturaliter virtutem amittens, omnino periret, sic anima nostra si oblitescatur divini huius cibi sumere alimentum, manifeste mortis periculo se obicit, sicut docent verba Davidis (Ps. 101): *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quae verba licet Gregorius, Augustinus, et Glossa super Psalmos explicent de verbo Evangelii, iuxta illud Christi (Matt. 4): *Non de solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei; quorum sententia fundari potest in interpretatione Chaldaica, ita verba praedicta vertente: *Quoniam oblitus sum legem doctrinae tuae: et licet etiam alii cum Incognito (super eundem locum) interpretentur de fame, quoniam populus Israel persequente Antiocho tolleravit: ac tandem eisi non desunt, qui ea-********

dem verba declarant de dolore, quo propter peccata sua David conficiebatur, qui adeo magnus erat, ut quemadmodum studio litterarum nimis deditis stomachus solet debilitari, quoniam spiritus ad intellectum pertinentes, qui resident in capite, cum a vitalibus, et sensitivis generentur, hi ut illis praesto sint, stomacho deficiunt; sic David animi sui viros in saarum culpam delestationem intendenti memoria deerat ad solatum corporis cibum capiendum, ideoque dixit (Ps. 101): *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quibus verbis, quamvis praedictae omnes interpretationes accomodari valeant; doctissimi tamen Cassiodori, et Nobilii interpretatio, quae allegorica est, nostro proposito magis convenit: qui per panem illum intelligit sanctissimum Eucharistiae sacramentum: atque ita sensus erit, David praesens non incommoda, quae Christi fidelibus evenire poterant, quod non hoc divino Eucharistiae cibo refectur, dixit, personam gerendo singulorum: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Debitis aridusque sum, et omni meo devotissimo caret cor meum, quoniam divinum panem manducare oblitus sum. Cui interpretationi conveniunt verba Christi, dicens: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Unde est, ut Paulus, qui optime hoc damnum evocaverat, hortetur Hebraeos ad frequentem Dominici corporis sumptionem, his verbis: *Beneficentiae autem, et communionis nolite oblitesci. Non ignoro nonnullos interpretes per communionem interpretari acceptationem bonorum, quae pauperibus in perlinas; atque ita tamen dicunt id ab eodem Apostolo fuisse praecipuum nomine, beneficentiae; et cum addat, *Talibus enim hostiis promeretur Deus, non loqui de uno tantum, sed de pluribus operibus, quae sunt eleemosyna, et Dominici corporis communitio; et ideo simul utrumque opus praecipit, ut Dei amorem, et proximi pariter commendaret: quoniam Dei amor per Eucharistiae communionem, quae iungitur homo Deo, et amor proximi per eleemosynam, qui et subcurrimus, exerceat. Et quoniam sicut Eucharistia est fidei mysterium, ubi contra iudicium sensuum credimus sub accidentibus panis latere Christi carnem; ita eleemosyna habet aliquid fidei: nam sub pannorum vili tegumento dam pauperi eleemosyna porrigitur, ipsimet Christo porrigi credendum est, sicut ipse dixit (Matt. 26): *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Redeant igitur ad principale huius homiliae propositum, ad explicandum nempe gravissimum damnum, quod divini huius panis inopia nobis adduci, vellem, ut hinc cognoscerent, qui eius damni causa sunt, revocando fideles ad Eucharistiae frequentationem, hoc malum tam esse perniciosum, ut animae nostrae afferat ultimam interitum, sicut in sensu spirituali dixit Ecclesiasticus (Ecc. 34): *Panis egenorum vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Vocat panem pauperum divinum hoc Sacramentum, quod spiritu pauperibus institutum fuit (Psal. 67): *Parasti in dicitur tuae pauperi Deus, non superbis mundi********

debet sic affectae alligere corpus, et sanguinem Domini. Huius enim Sacramenti tanta est puritas, ut ad illud non solum magno animi, sed etiam corporis nitore accedere omnino conveniat; idque adeo verum est, ut in ipso quoque habitu, et vestitu petat Cyprianus elegantiam, et ornatum: *Placendum est, inquit, divinis oculis etiam in habitu.* Huc etiam facit ad puritatem maxime internam studendam illud Salomonis (*Proc. c. 23*): *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quae apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo.* Inauditum certe loquendi genus: nam culter manu capi solet ad scindendos cibos, non gutturi apponi ad inferendam cordis consternationem, qua omnino cibi tolleretur appetentia. Literae sensus hoc in loco est, per Salomonem a Deo institui, et duci rursus rusticam, ignorantei autem consuetudinis, et ritus, quem convivia exceptis observare debet: ob idque urbanitatis ei regulas, ad leges praescribit: quarum prima est, ut aestimatis cibos sibi appositos, secunda, ut statat gutturi cultrum temperantiae, qua proclivem ciborum appetitum, ac sine lege rmentem libidinem coercat, et moderetur. Sed in sensu allegorico Spiritus sanctus alloquitur divinae huius mensae convivas; unde alia translatio legit: *Cum sederis ad mensam potentis, id est, ad mensam Christi, qui per excellentiam potentis dicitur, attente considera, quid tibi opponat comedendum.* Duo genera bonorum ego in Christo considero: quaedam intrinseca, et naturalia, quae sunt, quae ipsum Dei Filium naturalem constituunt, nempe divinam eius personam, naturam, bonitatem, omnipotentiam, et sapientiam, quibus reliqua divinarum attributorum multitudo accumulatur; alia sunt bona externa, inter quae nonnulla ei data fuerunt gratis, qualis est unio hypostatica, habitualis gratia, et quas vocant gratis datas, cum ceteris donis, quibus Christi anima locupletata est. Sunt et bona, quae dicuntur acquisita ipsius virtute ac viribus, id est propria eius merita, cum aliis bonis, quae ipse sibi lucratus est: quae omnia bona cibi huius exhibitio in Eucharistiae sacramento nobis communicat, quod laetae celsitatis, ac divinitatis est, ut si Deus absque eo, quod nobis dat, maneret, exinaniri eum, et exhauriri prorsus necesse foret. Quomobrem si tanta huius cibi dignitas, et maiestas est, iure petit Deus, ut qui ad hanc mensam venire intendit, diligenter, quid sibi apponatur, animadvertat (*Proc. 22*): *Cum sederis ad mensam potentis, diligenter attende, quae apposita sunt ante faciem tuam.* Eleva paropsidem, et plurimi fac regales dapes, quae tibi licet indigno falenter apponuntur: contemplare attentius illarum excellentiam, et pretium inaequabile. Id si feceris, secundae statim legi obtemperabis, quae inquit, *statue cultrum in gutture tuo, id est, arripe cultrum mortificationis, quoniam quicumque hanc mensam frequentare desiderat, cultro subicere debet omnes suorum sensuum affectus, delectationes, et voluptates mundi sapore aspersas.* Nisi dicere velimus, ex illa divini huius cibi consideratione futurum, ut tali animi dispositione

hoc Sacramentum quisque adeat, ac esset sub pabulo, et gutturi culter vitium crepturus immineret, statimque de toto vitae suae spatio rationem Deo esset redditurus. Optime noverat Apostolus, quantum hoc genere dispositionis nobis opus esset, cum dixit (*1. Cor. 11*): *Probet autem seipsum homo, id est, de pane illo edat, et de calice bibat, hoc est, secum secum homo rationem, et attendat, debeat ne sibi, an debeat: nam si debitis est oppressus, solve prius lenetur; si debetur sibi, potest illico ingredi ad recuperationem, et exactionem: quippe divinum hoc Sacramentum est tantquam sacculus Benjamin, habens triticum, et argentum; triticum ad animae sustentationem, nempe angelorum panem, qui est Christus, et argentum preliosissimum, quod est eiusdem meritum infinitum, quo facile quisque poterit aeterno Patri satisfacere. Possumus et aliter explicare Apostoli verba dicentis (*1. Cor. 11*): *Probet autem seipsum homo, id est, examinet se ipsum homo, et suam ponderet dignitatem, vel indignitatem, inspicatque attente, numquid mereatur A, litteram approbationis, qua debeat admitti ad huius mensae convivium, an R, notam reprobationis, qua tam divino convivio indignus declaratur: et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Sed notandum, et ponderandum est verbum, quo utitur Apostolus, inquitens: *Probet autem seipsum homo* etc. Videtur enim loqui contra, ac res fite: cibus enim probari, seu gustari solet, non ipse, qui illum comesturus est. Ita quidem primo apparet aspectu, sed modo his non est locus: nam cum probatio, seu libatio alimenti a coquo sit facienda, ut experiat condimenti qualitatem, et cibus hic supremo gradu saporis, ut pote divinus, cogitatus sit ex carne, et sanguine Dei, non eget praevia ipsius probatione, seu libatione; sed necesse est ut ille, qui gustaturus est, se probeat, discutiens, sit ne sincerus animo, et conscientiae purus: ideo namque dixit Apostolus: *Probet autem seipsum homo.* Quam doctrinam ille ab his, quae in coena Domini gesta fuerunt, didicit: nam etsi ei non interfuerit, eorum quae illic facta sunt, percellarem habuit revelationem, ut ipse ait (*Gal. 1*): *Non didici ab homine, sed per revelationem Iesu Christi.* Propterea Dominus dum coenaret cum discipulis suis, hoc instituturus Sacramentum, in principio inelytae illius coenae, omnes convivas suos, charissimosque discipulos magno stupore affecti, cum dixit (*Matt. 26*): *Qui intingit mecum manum in paropside, ille me tradet.* Potuisset tunc aliquis dicere: Domine, quare tuorum conviviarum pectora conturbas mentione tuae mortis, et buccellam tam amarum eius porrigis ante illam, quam statim eisdem daturus es dulcissimum? Sed est in promptu responsio, id si Christo factum sapienter, ut inde unusquisque cognoscat, debere se scrutari conscientiam suam, et diligenter examinare, sicut tunc fecerant Apostoli, dicentes (*ibid.*): *Numquid ego sum Rabbi? Id enim ita factum est, ut ab Apostolis examen factum in ipsa Christi coena, et huius Sacramenti principio maneret in posterum apud Ecclesiam suam pro exemplo, ac lege inviolabili, qua teneretur**

digne praeparari. huc divino Sacramento communicatur; idque docuit Paulus, cum dixit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Ablutio denique pedum, quae coenam praecessit sacramentalem, ac voluisse Christum corpus suum post mortem candida sindone involvi, et in sepulcro novo locari, manifeste indicant animi, et corporis nostri magnum esse oportere puritatem, ut sanctissimum illius corpus recipiamus. Hinc s. Augustinus (*ser. 252*) Apostoli doctrinae conformis, inquit: *Unusquisque consideret conscientiam suam, et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius studeat, eam emundare, alias potius se debet excommunicare, et ab altari removere, quam aliter accedere.* Quibus verbis conveniunt, quae dixit Theophylactus, relata verba Pauli declarans: *Non alium, inquit, tibi indicem tribuo, sed te ipsum tibi commendo: iudica igitur, et explora conscientiam tuam, et sic accede.* Sed cogituri, quod esse debeat hoc probationis genus, audiamus sacrum Tridentinum Concilium, a quo nobis declaratur, hanc probationem esse oportere confessionem sacramentalem, iuxta Ecclesiae catholicae veterem consuetudinem: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessarium esse, ut nullus sibi conscientiae peccati mortalitatis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Quod si hoc ipsum ratione naturali discere velimus, ipsamet ratio hoc dispositionis genus nobis persuadet: et medendi ars, si placere palato cibos cupimus, docet prius opus esse palatum tergi, et sanari, et ut universo corpori alimenta, seu pharmaca prosint, necessarium esse, stomachum malis humoribus expurgari. Ergo ut hoc sanctissimi Sacramenti alimentum invel edentes, opus est omnia peccata foras expellant per confessionem sacramentalem: ipsa enim efficacius nostrae conscientiae sordes absterget. Plinius (*in libro de nat. hist.*) scribit, leaenam, si quando leonem suum deceptit, cum pardo adulterans, atque tam ad leonis praesentiam, et consortium redeat, abluo in fonte solitam, ad tollendum malum odorem ex coitu pardi contractum, quo leo graviter offenditur. De lupis etiam testantur historici, si fame oppressi cibum non inveniant, ut fami satisfaciant, terram comedere, quam postea vomunt, cum inventum carnes, quibus post egestam terram salutarum. Sic qui proditor Christo fuit, et fidem eius violavit, atque tam ad illum veniat, in fonte confessionis sacramentalis abluatur, et malum deponat odorem praeteritarum culparum; dulcissimamque Christi carne ali, ac refici qui desiderat, evomat prius ad confessarii pedes omne peccatorum virus, quod ipsum Deo fecit infestum, et inimicum. Pro cuius rei significatione noluit Deus mittere quondam caelitus manna, nisi prius universae Aegypto farina defecisset. Et de Joseph refert Scriptura, prius fuisse lacrymatum, quam cum fratribus ad manducandum accederet. Et de Iob legitur, autem quam cibos caperet, suspirasse solitum: *Antequam comedam, suspiro:* et Davidem panem suum lacrymis commiscuisse; ac tandem Booz

dixisse ad Ruth: *Intinge buccellam in aceto.* Haec est dispositio necessaria ad hunc divinum panem digne comedendum, ita ut praeter peccata plangamus, ac detestemur, firmemque numquam in posterum peccandi propositum habentes. Haec de re dixit Bernardus (*in epist. ad sororem*): *Aeterna verba esuris aeternam meretur felicitatem.* Verba sunt sensus gravia, et aliquantulum explicata difficilia: nam etsi iustus ab ubere matris ieiunet, ut narratur de s. Nicolao, usque ad ultimum vitae suae terminum, non ideo aeternam, sed ad tempus, et limitem certum habuisse dicitur esuriam, et abstinentiam; attamen non loquitur hoc in loco Bernardus de ciborum, sed calparum ieiunio, et abstinentia; unde quoniam iustus, si a iustitia sua cadere non vult, propositum habere debet abstinendi ab omni peccato mortali per omnem aeternitatem, ideo constans hoc propositum vocavit Bernardus esuritionem aeternam, quae licet ad tempus fuerit, praemium tamen aeternum meretur. Quae animi praeparatio, constansque propositum ad hoc sumendum Sacramentum ita est necessaria, ut reliquis dispositionibus concurrentibus, si haec defecerit, fiat impia, et sacrilega corporis Christi communicatio. Ad quod indicandum Melchisedech obviam Abrahamo cum sacrificio panis, et vini non profuit, donec Abraham hostes suos debellavit. Ex quo significatum fuit, ut explicat s. Anselmus, non debere hoc divinum Sacramentum ab his assumi, qui motus animi, et turpes omnes affectus quo ad expulsionem culpae moralis subiectos non habentur.

Quoniam vero haec de natura dispositionis, quae huc Sacramento debetur, tractatum a nobis est; superest, aliquid dicere de circumstantiis, quibus illam dispositionem comitari debemus. Prima est, ut ad hanc caelestem mensam cum humilitate accedamus, sicut Origenes (*sup. verb. Centur.*): *Domine non sum dignus, etc. in hunc modum scripsit: Quando manducas, et bibis carnea, et sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: et tu ergo humilians tenetipsum imitare hunc Centurionem, et dicito: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Haec facit, quod narratur (*2. Reg. 9*), vocatum a Davide Miphiboseth filium Principis Ionathae, ut se cum eodem mensae accumbere: *Tu comedes panem in mensa mea saepe, qui ille respondit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respectisti super canem mortuum similem mihi? Si ergo principis filius, et nepos regis se iudicavit indignum mensa Davidis; quam habere debet suo indignitatis, et humilitatis cogitationem, qui ad Christi mensam accedit? Hinc certe deferretur lenetur humilitatem, et gratitudinem, quam ostendit Daniel, quando ad illum Dominus frustum panis misit, quo accepto dixit (*Dan. 13*): *Recordatus est mei Deus.* Quid ille quae dixeret, si pro illo pane accepisset Deo carnem, et sanguinem, quem nos in hoc Sacramento tam liberaliter accipimus? Secunda circumstantia erit reverentia; nam si haec rebus omnibus aliquid in se habentibus sanctitatem inire debetur, multo maior observantia, et veneratio exhibenda est illi, qui per essentiam sau-*

ctus, et fons sanctificalis est. Quam rationem sancta Synodus Tridentina (sess. 13. cap. 7), de hac ipsa re tractans, tetigit his verbis: *Certe quo magis sanctitas, et divinitas caelestis huius Sacramenti pro Christiano comperita est; eo diligentius cavere illi debet, ne absque magna reverentia; et sanctitate ad id recipiendum accedat.* Sacra notat Scriptura, quando Dei iussu ab altari prunam ignitam sumpsit unus ex seraphim; non manu, sed forcipe ab illo fuisse acceptam: qui si homo fuisset, putaremus id factum, ne manum combureret; sed cum spiritus esset angelicus, et beatus, quem ignis laedere non poterat, illam non manu, sed forcipe accepit propter reverentiam. Quare si caelestis spiritus tam reverenter accessit ad sumendum ignem altaris; clarè constat, qui non ignem, sed carnem, et sanguinem Dei accepturus est; et infra seipsum collocaturus, accedere oportere magno cum tremore, reverentia, et sanctitate. Idem quoque nos docet, quod accidit Moysi, ad rubrum ardentem, quod accumsipsum accedere volentis: cui dixit, qui erat in rubro Deus (Exod. 3): *Solve calcementa de pedibus tuis; siste Moyses, abstine, atque irabanus estor; si huc vis accedere, solve calcios, ut reverenter appropinques.* Si videris rubrum, veterem Christi figuram in cruce pendens; tantam iussu Dei reverentiam secum afferre iubetur; non est dubium, multo maiorem esse oportere nostram erga hoc Sacramentum, cum iam ardeat per illud edemmet Christo communicemus. Tertio circumstantia, et magni ponderis, atque asclimatis inter spiritualis est: huius fames, et Christi sanguinis aviditas: nam sicut appetentia ciborum iuxta comedentis gustum, ac delectationem, efficitque ut alimenta stomacho insideant, et corpus melius nutriant, iuxta illud vulgare: *Quod sapit, nutrit;* ita huius cibi esus cum esurie, et illius desiderio magni est momenti dispositio, et anima hoc caelesti cibo magis delectetur, et reficiatur. Hoc dispositionis genus nos docet Christus, quando ante coenam, in qua instituit hoc sacramentum, suis dixit discipulis (Luc. 21): *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Triginta, et tres anni sunt, per quos semper fames me sollicitavit, et desiderium tenuit hunc, quem vobis praebeo angelorum panem, comedere vobiscum. Ita explicat hunc locum Hieronymus (sup. Matth.), et Tertullianus (contr. Marcion.). Verum est, ab aliis Ecclesiae Patribus ea verba intelligi de fame, seu desiderio moriendi; utque tamen sensus apte satis praedictis verbis potest accommodari: possumus enim dicere, Christum desideravisse mortem tanquam diem festum; illam vero coenam, et sui corporis communicationem, velut eiusdem festi optavisse vigiliam: vel si magis placet, dicamus, desideravisse Christum mori, Sacramento sui corporis tanquam viatico suscepto. Praeterea gratitudo animi, cum semel communicavimus, et devota gratularum actio propter tam singulare acceptum a Deo beneficium, magni momenti, atque fructus est praeparatio, ad ampliora postea in aliis corporis Domini communicationibus accipienda caelestia charismata: nihil est enim,

quod magis benefactorem nostrum Deum excitet ad nova beneficia in nos accumulanda, quam gratitudo, et memoria susceptorum. Sed in hac re tam inter laicos, quam ecclesiasticos magnam video vigere abusum: siquidem vix ab hac sacra mensa surgentes, statim ad solita studia revertuntur, nihil morati ad tractandum propriae salutis negotium tam opportuno tempore, quo suo causae iudicem intra seipsum habent hospitio susceptum: nam praeterquam est inurbanum, Deo ad te invadendum veniente, et domum tuam intrante, confestim te abire, ipso non salutato; medicorum etiam ars docet, itaque experientia confirmat, opus esse cibo refectis quiete, et negotiorum cessatione exteriorum: haec enim valde necessaria est, ut cibis stomacho adhaerescat, et sufficienter digeratur. Opus est igitur ab hac mensa surgentibus quiescere silentes, et meditare tanti Sacramenti mysterium, et cum Christo post acceptum tam caeleste alimentum paulatim conversari, ne de te dicatur, quod vulgo solet: *Nulla post dapes amicitia:* sed potius sicut externa facultates, et sensus hoc divino Sacramento fruuntur, videndo illud, odorando, et gustando; ita quoque interiores animi facultates, memoria, et intellectus, cum meditatione, ac voluntas cum affectu participes fieri dulcedinis, et suavitatis, quae in hoc Sacramento percipiuntur. Sed ut iam huic hominibus ultimum addam colophonium, reducam fidei huius in memoriam ex Tridentina Synodo indigne hoc caelesti cibo vescentes mortem sibi devorare: *Præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducati, et bibit indigne, iudicium sibi manducati, et bibit.* Idemque Paulus (1. Cor. 11) admonet, ut memores sint suppliciorum, quae Deus adversus eos, qui manna contempserunt, immissit, qui serpentibus igneis puniit, ut (Num. 21) narratur, vitam amiserunt. Quas ob res si figuræ contemptum tam severam meruit poenitentiam; quis non credet multo acerbiorum futuram poenam illius, qui figuratum neglexerit, et offenderit? Si rex Baliasar templi vasa in profanos usus vertens, antequam a convivio surgeret, vidit in pariete manum sententiam mortis suae ferentem; quid fit adversus sacrilegum, et impium hominem, qui Dei carnem, et sanguinem sacratissimum profanavit? S. Anselmus explicans verba Pauli: *Ido inter vos multi imbecilles, et dormiunt multi,* ait huiusmodi homines non solum in futuro, sed etiam in praesenti saeculo puniri, multosque suo tempore post pascha in poenam sacrificae communionis morbis laborantes, videorquæ mihi audire Christum per Hieremiam in hoc Sacramento de illis querentem, et dicentem (Hier. 31): *Comedit me, devoravit me rex Babilonis, replevit ventrem suum tederitudo mea: et quod est apud Davidem (Psal. 16):* *Suseperunt me sicut leo paratus ad praedam, sicut catulus habitans in abditis.* Prima verba Christi ita querentis diriguntur in eos, qui publici existentes peccatores huic divino Sacramento commu-

nicare audent; ideoque illos cum rege Babilonis Hieremias comparat. Posteriora verba notant peccatores occultos, qui externo habitu praesefertunt sanctitatem; interius autem sceleribus, et delictis repleti sunt, de quibus dixit Paulus (Eph. 5): *Quae autem in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere;* ob idque David comparat eos leonibus, a speluncis, et locis occultis in praedam ruentibus. Qui igitur purissimum carnem Christi manducaturus est, oportet, nisi velit Dei indignationem incurere, Christi mores imitari, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Tractatur de huius divini Sacramenti praestantia, quatenus sacrificium est, et quae in eius ministris vitae puritas requiratur.

Inelytus Ecclesiae Pater Augustinus (libro 9. cont. Faust.) ait, nullam unquam fuisse Republicanam, etiam gentiliam, quae non usa fuerit signis aliquot sensibilibus ad suorum Deorum cultum, et venerationem: *In nullum, inquit, nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum visibilibus consortio colligantur.* Inter quae signa visibilia praecipua fuerunt sacrificia, et oblationes tam inter Ethnicos, quam inter Christianos, sicut idem Augustinus contra eundem Faustum scribens attestatur. Principio haec oblationes fiebant ex fructibus, et herbis terrae; poetaque Horatius scribit (in suis epist.), eiusmodi fructus solitos offerri Genio tutelari, nos angelum vocamus eisdem. Cumque ex his quae prima ex agris suscipiebant offerre Deo, sacerdotisque, ut Plinius (lib. 18. c. 3) scribit, primi libare solerent, primitias, et libamina prima appellabant. Post terrae fructus oblatæ fuerunt species aromaticae, partim simplices, partim compositae, de quibus meminit Tibullus; et post aromata oblata sunt varii liquores, quos vocavere libamina, et praesertim vinum, ut Poetarum princeps hoc versu innuit: *Quisquis huiusmodi sacrificia offert, et in vaseque in obscuro se vertere vina croentem;* quasi indicando magis diis placere sanguinis, quam vini oblationem. Hinc inter Gentiles variae, ac frequentes fuerunt boum, taurorum, et aliorum animalium immolationes, quibus historiolum monumenta tam sacra, quam profana plena sunt: quae etiam de causa institutae fuerunt solennes hecatombae, quae centum boum sacrificia erant, et Romani usi sunt sacrificiis, quae vocaverunt sucovetaurilia, quoniam ex suco, ovis, et turo fiebant. Quibus sacrificiis mactata appellaverunt etiam hostias, ab hoste, quoniam illa mactare solebant, quando bellum adversus hostem inchoabatur; vel dicta sunt ab ostio, quoniam animalia ad limen, seu ad ostium templi mactabantur; appellata quoque victimae a victoria, quoniam offerebantur

pro victoria adversus hostes obtinenda; vel a vincendo: nam animalia victa ad sacrificium ducebantur. Hic autem in sacrificiis hostiarum, et victimarum usus apud gentes ita frequens, habuisse dicitur originem ab opinione, quam conceperunt, lucri cupiditas, et donorum amantes Deos suos existimantes; quod et Ovidius ita testatus est:

Manera crede mihi, placant hominesque Deosque; Placatur donis Iuppiter ipse datus.

Adeoque sacrificiorum invaluit consuetudo, ut proprios filios idolis immolarent, sicut meminit David (Psal. 105): *Immolaverunt filios suos daemonis.* Sed relicto idololatris, ventiamus ad eos, qui in Dei veri cultu se primi omnium exerebant, ad filios nempe Adami, quorum unus oblitus Deo agri fructus quosdam, alter sui gregis agnos pinguiores; eosque imitata est sacrificiis dedita ipsorum posteritas. Et Noe post universalem aegrum inundationem ante ingressus, Deo sacrificavit; quod et Melchisedech, et Abraham fecerunt, ut a Moysi in Genesi memoratur; ac tandem reliqui Deo grati homines, et amici idem faciebant: nec in lege scripta minus viguit sacrificiorum usus: seminis enim taurum, vaccam rufam, caprum emissarium, aliaque animalia fuisse tunc mactata, et a Jacob vocatum Benjamin lupum rapacem, propter templum, ubi erat altare, quod plures oves, arietes, et vitulos, quam lupus, devorabat. Et quoniam sacrificium mane offerebatur, et distributo partium sacerdotibus provenientium fiebat vesper; ideoque postquam dixit (Gen. 4): *Boniam lupum rapacem, adiecit, nam comedit praedam;* et vesper dividit spolia. Anadverti etiam in regio Propheta (Ps. 38), qui lotus agit de altaribus, *Altaria Domini virtutum, habere titulum; Pro torcularibus:* cuius tituli, et inscriptionis causa fuit, quoniam quemadmodum in torculari ex calcatis racemis succus, et mustum uvarum exprimitur; sic in illo altari sanguis ab animalibus, quae illic immolabantur, defluebat; et sicut uvae, quae in torculari premuntur, et calcantur, etsi videntur nescientibus dissipari, non in deterius, sed in melius mutantur, nempe in vinum; ita quod in illo altari offerebatur, etsi pars consumebatur, et pars dabatur sacerdotibus, nihil peribat immo Deus victimas illas melioribus, et pretiosioribus rebus compensabat. Fuerunt denique haec sacrificia tam frequentia consuetudine recepta, ut usque ad Christi aetatem, narrantibus Evangelistis, columbae in templum Deo offerendae portarentur. Quamvis autem, antequam Deus populum suum a servitute Pharaonis liberaret, non praecipere frequentia illa sacrificia sibi fieri, tamen in exitu illius mandavit Israelitis illa sibi offerri: tum propter mysticas eorum significationes; tum quod cum Aegyptiis versati sacrificiorum studiosi, illorum mores acceperant, ideoque in deserto exerceant idolatum, ut Apin Deum Aegyptiorum adorarent, sicut in constitutionibus Apostolicis narratur. Quare, ut ritus Aegyptiorum abicerent, praecipit Deus sibi vero Deo sacrificia offerri; utque deos quos